

tior & fervidior ambitio.

21. Per *vulgus* jam intelligo homines abjectos & viles (cujusmodi sunt qui ferendis oneribus victum quærunt) qui felicitatem ponunt in divitiis, quos Ethici, dum varias de felicitate sententias recensent, distinguunt ab hominibus elegantioribus atque ingenuarum artium studio politis, utpote qui felicitatem in honore aut virtute collocant.

## EXERCITATIO LXXIV.

*Quàm accuratè Cartesius Passiones animæ sive affectus definiiverit.*

I. **D**Um ad meliorem nostri ipsius notitiam acquirendam de nonnullis animi affectibus præcedentibus Exercitationibus differui, non alienum visum est in eundem finem definitionem affectuum generalem ex Cartesio proponere, quo specimine simul docebo, quàm accuratus Philosophus ille præceptorum Logicorum fuerit observator. Et quia non dubito, quin plures eorum qui hoc scriptum legent Logicam meam quadripartitam habeant, eam in hoc examine sæpius citabo.

L 1 3

2. Sed